

SCRIPTUM : Fabellae Lusoriae – Rana et Bos -
John Kevin Newman, profesor linguae latinae in Universitate Illinois

Rana et Bos, Narratores et Ranunculi

- B Bos ego sum, per prata deambulo.
R Rana ego sum, per stagna lateo.
B Mugire ego possum, omnes me audient.
R Strepere ego possum, omnes ut vigilant.
B Ego sum maximus, animal gravius.
R Ego sum minima, animal levius.
B Ego sum herbis aptus edendis.
R Ego sum muscis apta capiendis.
B Sunt mihi infantes, vocantur vitelli.
R Sunt mihi infantes, vocantur ranunculi.
* * *
- N1 Ego narrator, rem narro horridam.
N2 Rana explosa est, causam perpoliam.
N1 Ecce ranunculi subito veniunt.
N2 Ecce ranunculi subito garriunt.
RL Mater, matercula, animal vidimus . . .
- R Quod animal? Dicite!
RL Bos erat maximus.
Tu, mater, non potes istum aequare!
R Ego aequabo, sinite flare.
N1 Et tum se inflabat rana stultissima,
N2 Tandem explosa est, res heu tristissima.
N1 Hoc moneo te, si non es maximus,
N2 Contentus resta. Tibi est melius.



Phaedrus, Liber I

XXIV. Rana rupta et bos

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem,
et tacta invidia tantae magnitudinis
rugosam inflavit pellem. Tum natos suos
interrogavit an bove esset latior¹.
Illi negarunt². Rursus intendit cutem
maiore nisu³, et simili quaesivit modo,
quis maior esset. Illi dixerunt 'bovem'.
Novissime⁴ indignata, dum vult validius⁵
inflare sese, rupto iacuit corpore.

1.- *an... latior* y *quis maior esset*: proposiciones interrogativas indirectas. 2.- *negarunt* = *negaverunt*. 3.- *Nisus-us*: esfuerzo. 4.- Adverbio derivado de adjetivo, en grado superlativo. 5.- Adverbio derivado de adjetivo, en grado comparativo de superioridad.